

Q. 520, 24.

B. m. II

II d  
1400

3021.

X1860287

*Præfiscine!*

**SILESIIORUM  
IN POESI GERMANICA  
PRÆSTANTIAM**

Superiorum Permissu

*Lipsiæ A. M DC IIC. XXVIII, Maji,*

H. L. Q. C.

P. P.

**M. JOH. CHRISTIANUS KUNCKEL,**

Et.

**GEORGIUS NEICKE,**

Vratisl. Silesii, S. Th. Studd.

Literis IMMANUELIS TITHI.



*Tithi*  
pectui atque  
ne nos in-

Augustæ Vratislaviensium Reipublicæ

P R Æ S I D I,

Cæterisque

PATRIBUS CONSCRIPTIS,

VIRIS

ILLUSTRI,

GENEROSIS, MAGNIFICIS, MAXIME  
STRENUIS, NOBILISSIMIS, CONSUL-

TISSIMIS, AMPLISSIMIS,

PRUDENTISSIMISQVE,

*Dominis, Patronis atq; Evergetis suis*

Veneratione quâ decet observantissimâ suspiciendis,

Hæc Studiorum Academicorum,

Ipforum maximè Beneficiâ suffultorum,

Primitias,

Quinimo Studia sua omnia, seque totum diu jam sacratum,  
cum omnigenæ Prosperitatis Voto, humillimâ mente

offert

MAGNORUM IPSORUM NOMINUM

devotissimus Cultor

Joh. Christianus Kunckel.



*L. B. S!*



Rras, L. B. si vel intempestivum Patriæ, vel nostrimet Amorem, quam hîc vides, dissertatiunculæ ansam dedisse autumes. Novimus rem Silesiæ minùs gratam facturos Panegyristas, (quem Titulum vel propria virium tenuitas nobis invideret,) si variam Illius doctrinam ostentaturi omnium primò Poësinin scenam producerent, à Silesiis, ut Prudentioribus hodie omnibus, ultimo Studiorum loco habitam, & non nisi horarum succisivarum admittance dignatam. Studiorū Academicorum Primitiæ proferendæ publicè erant, ubi foris Argumentum quærere nolimus, cùm in Patriâ, absentibus etiam præsentibus, suppetet à nemine hæctenus pertractatum, imò in ipsâ hæc Almâ, quam alteram Patriam veneramur, subministratum. Neque enim Præses diffiteor, in Collegio Oratorio, quod sub Viro verè Excellentissimo, L. Johanne Schmidio, Silesiæ apud Exteros Decore, atque Eruditionis Teste, quamvis in propriâ causâ, fide dignissimo, diu hæctenus floret, eandem impositam mihi dicendi causam dictamque fuisse, quam nunc mutato adauctoque habitu, publico conspectui atque disquisitioni submittimus. Hederâ verò eò libentiùs nos in-

dignos fatemur, quò minùs necessum est, ut Poëtæ ipsi quoque sint, qui de Poëtis velint quodammodo differere: foremusque contenti Ciceronis, quod de Arato tulit, iudicio; ipsum de Arte appositè scripsisse, Artem verò ignorasse; nisi & hîc conscia imbecillitatis mens refragaretur. Veniam tamen faciliùs dabis L. B. recordatus, neque primo vere fructûs in hortis quærendos, nec primos flores illic uberiores reperiri. Vale!

### Contenta.

- §. 1. *Silesiæ Singularia voci Geographia includunt.*
2. *Sed ille Index non est adequatus.*
3. *Quid hîc sub Poësi Germ. comprehendatur.*
4. *Per Præstantiam non intelligitur Perfectio.*
5. *Lusati Silesiis h. l. non accensentur.*
6. *Nec omnes Silesii Poëtæ sunt, nec Extranei ab hoc Titulo excluduntur.*
7. *Thematis definitio traditur.*
8. *Existentia probatur.*
9. *Essentia indicatur.*
10. *Origo Præstantiæ hujus sistitur remotive,*
11. *positivè: Natura,*
12. *Imitatio, &*
13. *Lingua Siles. Dialectus.*
14. *Respondetur ad objectos Silesiasmos.*
15. *Fructûs Præstantiæ remotive & posit. indigitantur.*

## De Silesiorum in Poësi Germanicâ Præstantiâ.

## §. I.



Silesiæ Singularia memoriæ consulturi sub voce GEOGRAPHIA complexi sunt. (a) Innuunt enim *Gemmas*, varii generis circa Isaram rivum atque in Riphæis præsertim montibus cum Margaritis etiam invenientas; (b) *Eruditos*, quibus ad invidiam usque Silesia, inprimis inde à Reformationis Luth. temporibus semper abundavit; (c) *Ollas latentes, Bergtöpfen* / ut à Schwenckfeldio dicuntur, (d) à Paganis olim Incolis Urnarum loco, ceu probabile est, ad sepulturam adhibitas; *Giganteum montem*, quem inter Sudetes tanquam Imperatorem promittere videas, ære, argento & auro, gemmisque quasi gravidum; (e) *Rubenzablium*, Spectrum illud famosum, Montis nunc laudati incolam; (f) *Axungiam Solis Chymicorum*, seu Terram sigillatam, ut vocatur ab impresso Senatûs Strigoniensis Sigillo, quam non tantum circa Strigonium oppidum, (ubi primus eam Joh. Montanus, Strigoniensis Medicus, deprehendit) sed etiam ex Agro Lignicensi & Goldbergensi effodiunt; (g) *Pannum lineum*, tam vulgarem, quàm byssinum, Germ. *Schlesische Leinwand und Schleyer*; (h) *Herbas* varias, quas inter Rubia sativa excellit, in Vratislaviensi inprimis agro felicissimè, & nisi in Silesiâ & Seelandiâ, vix alibi procrecere solita; (i) *Ignitas Aquas* seu *Thermas*, Hirschbergenses (k) & Landeckenses (l); denique *Aurum fluviale*, ex Catto, Bobero, Zaco, Isarâ &c. colligendum. (m)

(a) Ex ore B. Bogenii, in *Gymn. Vratisl. Elis. Math. Prof.* (b) Vid. *Casp. Schwenckfeldii Silesiæ Stirpium & Fossilium Catal. Nic. Henelii Silesiogr. p. 17. 18. Schickfusii Chron. Siles. L. 4. c. 3. p. 11. 12.* (c) Citatus Henelius inter alia plura de Silesiâ, scripsit etiam *Silesiam Togatam, id est, Familiis, Gestis & Literis Illustrium Silesiorum Elogia*

*Libris XII, Sed utinam non diutius latere sinerent, qui possident manu-  
scriptam*(d) l.c.L. 3. p. 406. conf. Henel. Silesiogr. p. 17. (e) Henel. ibid.  
p. 5. 6. Schickfus. L. 4. c. 3. p. 11. 12. (f) Schickfus. ibid. conf. M. Job. Præto-  
rii Reformirenden und Informirenden Mübenzahl Lips. 1672. 8. (g)  
Schwenckf. l. c. L. 3. p. 505. Henel. l. c. p. 16. Schickfus. L. 4. c. 3. p. 13.  
14. 15. conf. laudati Montani opusculum de hac Terrâ, quod sæpi-  
us editum est in formâ 4tâ. (h) Schickf. L. 4. c. 5. p. 33. & c. 6 p. 37. (i)  
Schickfus. ibid. conf. Lansius orat pro German. p. m. 66. (k) De his cita-  
tus Schwenckfeldius Librum scr. Germ. editum Gorlic. 1607. & Lignicîi  
1619. 8. cf. Schickfus. L. 4. c. 4. p. 18. sqq. Conscripsit de iisdem opuscu-  
lum celeberrimus D. Laurentius Schultzius, Vratislaviensis quondam  
Polyater. (l) Harum accuratam descriptionem à D. Sam. Schil-  
lingo, Nissensi Physico, adornatam exhibet Schickf. L. 4. c. 4. p. 22. sqq.  
(m) Ex tali auro conflata catena Georgius II. Dux. Lignic. & Breg.  
è collo suspensam gestavit, v. Schickfus. L. 4. c. 5. p. 34.

## §. II.

Criticorum equidem partes circa hanc GEOGRAPHI-  
AM nobis non vendicabimus. Ultra limites illam in quibus-  
dam excurrere, nemo non videt; aut, si mavis, arctioribus  
etiam terminis contineri vel inde patet, quòd *Acidulas* Silesia-  
cas, quibus Ager Jägerndorffensis gaudet; (n) quòd *Marmor* viri-  
dis coloris, in Sabotho monte inveniendum; (o) quòd *Jus Equi-  
tum Silesiorum*, (q) imò alia forsitan Silesiæ Peculiaria, quo-  
rum memoria jam non succurrit, sicco pede prætereat. Certè,  
*Silesiorum in Poësi Germanicâ Præstantiam* Supplementi haut  
exilis loco addendam esse, quàm hîc instituumus, Dissertatiun-  
cula dabit evictum.

(n) Schickf. L. 4. c. 4. p. 18. & c. 21. p. 138. (o) Idem L. 1. c. 3. p. 13.  
(p) Jus illud Germ. descripsit Georgius Wentzkius, Eques Silesius sub  
Tit. Das Schlesiſche Ritter-Recht I prod. Lips. 1615. 4. cf. Schickf.  
Chron. L. 3. c. 24. p. 295. sqq. qui ipse etiam Lat. scripsit de Jure Silesio-  
rum Feudali opus, nondum publici juris factum; imò in præfatione  
Chronici prima Editio Jurium quorundam Silesiæ singularium mentio-  
nem facit, quam posteriores non habent, vide Exc. Hankii Colleg. Hi-  
stor. MS. de Silesiorum Rebus P. I. c. 2. §. 36.

## §. III.

§. III.

Nolumus autem Poëseos Germanicæ nomine hic complecti oratione liberâ scriptas vel Tragœdias Comœdiasque; vel Fabulas, quas vulgò Romanas nominant; (q) vel etiam Inscriptiones argutas, à Cl. Weisio Poëseos hodiernorum Politicorum nomine insignitas, (r) Quamvis his omnibus ratione inventionis. & materiæ multum poëtici subesse non negemus. Quemadmodum enim ex Criticorum illo Cæsare, Julio Cæsare Scaligero (s) didicimus, non tam à fictione, quàm à faciendo Versu Poëtæ nomen ductum esse: Ita Poësi propriè dictâ illud tantum nobis comprehenditur, quod & corpore & habitu poëtico incedit, id est, & rerum scitè inventarum, & numerosæ verèque poëticæ dictionis concinnitate aptum est ad docendum cum singulari delectatione. Neque etiam, quod Dramata quidem prosaica atque Inscriptiones Germ. (t) spectat, novimus, Silesios multum in illis aut operæ, aut gloriæ reposuisse, certè parum typis evulgasse: Quanquam si Fabulas Rom. respicias, B. Lohensteinii Arminius omnib9 hujusce modi, etiam exoticis, palmam ambiguan reddidisse videtur, (u) ut Personas Illustriores, qui taceri malunt, hic taceamus.

(q) De illarum origine eruditam Dissert. scr. gallico idiomate celeberrimus Huetius, referente B. Morhofio im Unterricht von der Deutschen Sprache und Poesie P. 2. c. 3. p. 214. qui de iis etiam ipse conferripotest P. 3. c. 14. p. 691. sqq. Item Cl. Chr. Gryphii Actus Dramaticus de iisdem. (r) v. Ejusdem Tr. sub hoc Tit. editum, & denominationis rationem in præfat. quòd nempe Politici illis Inscriptionibus loco Carminum utantur. B. v. Morhof. l. c. P. 3. c. 9. p. 595. sqq. aliud Poëseos Politicæ genus adducit, quando nimirum tam Græci, quàm Latini versus composuere numero pedum saltem & accentu vocum plerumque observato, quantitate verò syllabarum neglectâ, quales illi militum in Cæsarem: Urbani servate uxores, mœchum calvum adducimus & c. Et hos Græcis obinde Politicos dictos refert, quòd vel communi usu apud ipsos invaluissent, vel quòd ad liberâ orationem, quâ λόγον πολιτικὸν vocârunt, accederent propiùs. Caterùm Quirinus Pegasus, seu, qui

qui sub hoc nomine latet, Harsdörfferus, Inscriptiones illas inter *Profam* & *Poesin* quasi medias collocat, in *Arte Apophth.* juxta finem p. 41. (f) *De Repoëtica Lib. 7. c. 2.* (t) Sane ipse Cl. Weisius in *Orat. Pol. P. L. c. 5. p. 97. sqq.* ubi (secundum Ejus quidem effatum in *Prefat. Tr. cit. de Poesi hod. Polit.*) *Argutias docuit balbutire Germanicè, fatetur linguam nostram ad normam Latine brevitatis nolle cogi; quamvis, quem ante se Inscriptiones Germ. feliciter tentasse laudat, B. Harsdörfferum, multis parasangis antevertat.* (u) *conf. inf. §. XIII. lit. (c)*

#### §. IV.

Per Præstantiam non intelligimus Perfectionem absolutam, quasi ita Silesios excellere in Poësi Germanicâ putemus, ut perfectorum plane Poëtarum nomine venire queant; Neque sic respectivam, ut vel omnes aliarum Gentium Poëtas lauru præ Silesiis indignos habeamus, (quali *παλαιομαρία* Gallos præsertim erga Ronfardum, atque Italos erga Ariostum & Tassum, captos B. Morhofius notavit, (x)) vel saltem accidere posse negemus, ut ab aliis etiam Germanorum in hac Arte valeant superari. Præterquam enim quòd Perfectiones ejusmodi, cujuscunque etiam disciplinæ, ideales tantum sint & imaginariæ, (y) constat inter omnes, rectissimè ad Poësin applicari, quod de Eloquentia in genere M. Seneca testatur: (z) *Magna & variæ est Eloquentia, nec adhuc ulli sic indulgit, ut tota contingeret; satis felix est, qui in aliquam ejus partem est receptus.* Unde inventis, juxta tritum illud, hîc quoque aliquid addi posse, etiamsi non facile, non tamen impossibile ducimus.

(x) *Im Unterr. von der D. Sp. und P. P. 2. c. 5. p. 274. sqq.* Imò de eorum præstantiâ integros Libros scriptos dicit *ibid. c. 2. p. 197.* (y) Hoc sensu Cicero & Quintilianus negarunt dari perfectum Oratorem, v. *Ciceronis Oratorem perfectum à B. Kirchmajero annotationis illustratum p. 1. sqq.* & *conf. Catalogum Idearum ejusmodi scriptis publicis propositarum in B. Felleri Oratione de Virgilii Philosophiâ p. 14. item, quibus hæc oratio præfixa est, in Ejus Floribus Philos. ex Virgil. p. 227.* (z) *Prefat. ad Lib. 3. Controv. p. m. 275. conf. ejusdem Pref. ad lib. 2. Controv. p. m. 89.*

#### §. V.



§. V.

Si fines Silesiæ extendere liceret, Lufatos quoque Eide-  
dem accenseremus, quos cum Silesiis, ut nomen ferme idem  
habere, (a) atque Principibus Silesiæ olim subfuisse (b) constat;  
ita non limitibus saltem, sed & moribus, lingvæ dialecto (c)  
atque ingenio, adeoque poëticâ quoque facultate (d) ad Silesios  
proximè accedere, in propatulo est. Præstabit tamen per  
Silesios hîc illos tantùm indigitasse, qui hodie præcisè tales  
vocantur.

(a) Schickfus. L. 4. c. 1. sub fin. p. 6. dicit Lufatiæ nomen Elyfiorum  
vel Lygiorum bis in locis quondam habitantium non multum esse dif-  
simile. Sed major apparet convenientia, si ex variis, quibus Silesii olim  
denotati sunt, nominibus, attendamus saltem Lyfitarum, (quo eos vo-  
cavit Richardus Bartholinus, doctiss. Italus Perusinus, *Austriados*  
Lib. 10.) & Slesitarū (quomodo dicuntur à Melch. Soitero à *Vindâ* Lib.  
2. de Bello Pannonico (seu Schlesitarum (ut Æneas Sylvius in descri-  
ptione Germaniæ) aut Slessitarum (ut Andr. Althammerus in  
Scholiis ad Taciti Germaniam c. 2. scribunt.) Vide omnino Exc. Han-  
kii cit. Colleg. MS. P. 2. c. 1. §. 1. ubi in discursu simul referebat, ex Gol-  
dasto, literularum omnium in exprimendis nominibus propriis obser-  
vatore, posse probari, vocem Silesiorum ultra tria tamen secula in usu  
fuisse. Caterùm, Silesiam, ut nunc dicitur, inferiorem Sec. à N. C.  
primo, incolas habuisse ex Svevis Ligyos, interque hos Elyfios, sicut su-  
perior ex Svevis Quados, contra Philipp. Cluverium evincit idem Exc.  
Autor ibid. capp. 2. 3. 4. 5. (b) Sic Sec. XI. Conradus I. Uladislai II. Polo-  
norum Silesiorumque Ducis filius, hereditariam accepit cum Inferiore  
Silesiâ utramq; Lufatiam. Sec. XIII. Henricus Barbatas, ut & filii, te-  
nuerunt adhuc Gorlicium, Zittaviam aliasq; Lufatiæ urbes, & c. v.  
Schickf. L. 4. c. 1. sub fin. collatis L. 1. c. 19. f. 57. & L. 2. c. 1. f. 8. it. L. 2. c. 3.  
f. 12. Cf. etiam Zeilleri Itiner. Germ. c. 23. f. 503. & c. 30. f. 663. Hank. l. c.  
P. 3. c. 4. §. 9. An propterea Varenius Geograph. gen. L. 3. c. 31. p. 629.  
Edit. Amst. 12. Gorlicium Silesiæ urbem nominet, non liquet. (c)  
Quod jam observavit Schickfus. L. 4. c. 1. sub fin. (d) Hoc forsitan  
respectu Autor Dissert. de Poët. Germ. p. 82. Gorlicensem quendam  
Poëtis Silesiacis adjunxit; nisi potius communem Lipsiensium morem  
respexerit, quo Lufati plerumque Silesii audiunt.

B

§. VI.

§. VI.

Interim, sicut non omnem Silesium continuò & Poëtam dicimus; ita nec extra Silesiam dari Poëtarum Germanicorum nomine dignos inficiamur. Habuit veterum Poëtarum seculum etiam Marfos, Suffenos, Volusios, Bavios, Mævios, Anseres, (e) Habet & Silesia Moriones Poëtaſtros, (f) non omnes quidem Vratislaviæ aut Bregæ Sclopetariorum, ut vocantur, Regibus anteambulones se præbentes, foëtibus tamen suis, invitâ planè Minervâ enixis, risum doctioribus passim excitantes. Tantumque abest, ut Viros hoc quoque doctrinæ genere non incelebres, Buchnerum, Weisium, (g) Morhofium, utrumque Zieglerum aliosve (h) laude suâ defraudemus, ut potius Carmina illorum Germanicâ admiratione subinde prosequi soleamus.

(e) *Vid. Poët. maj. Giffens. L. 2. c. 2. p. m. 191.* (f) *Germ. Pritsche-Meister / v. de hujus farinae hominibus Morhof. l. c. P. 2. c. 7. p. 348. ubi quendam adducit, qui publico scripto se vocavit Des Erzh- Herhogen Ferdinanden zu Desterreich Pritschmeister.* (g) *Ignoscet Vir. Cl. Ipsiùs hîc mentionem inter Poëtas fieri, contra Ejus protestationem, factam in Seinen curiosen Ged. von deutschen Versen P. 2. c. 1. §. 3. p. 5.* (h) *v. M. Neumeisteri Dissert. de Poët. Germ. Lips. 1695. habitam.*

§. VII.

Silesiorum ergo in Poësi Germanicâ Præstantia nihil aliud est, quàm, quâ ita Silesii inde ab Opitio (i) in conficiendis Carminibus Germanicis excellunt, ut inter Germanorum Reliquos tot tantique Poëtæ Germanici hæctenus non reperiuntur.

(i) *Seculo quidem jam XIII. præcipitante Henricus V. Crassus aliàs dicitur, Vratislaviæ Dux, Versûs Germanicos pro illorum temporum barbarie satis concinnos composuit; (v. B. Hofmannswald. Præfat. Carm. p. si numerentur, 22. & B. Morhof. l. c. P. 2. c. 7. p. 328. qui ibid. p. 331. refert, Soldastum, ipso in Annotationibus ad Parænes. teste, illos unâ cum aliorum Germanorum carminibus in Bibliothecâ Schobingerianâ vidisse & legisse.) Ad Opitium tamen, tanquam purioris Poeseos Germ. parentem, omnino ortus quoque hujus Præstantiæ est referendus. Et quamvis*

vis

vis Petrus Denaisius, *Actus & Assessor Camerae Spirensis*, egregios Versus Germanicos scripsisse ante Opitium dicatur, in dubio tamen relinquit, cum non viderit, Morhofius l. c. c. 9. p. 423. imò antea c. 7. p. 387. scripserat, *Auroram Poëseos Germanicae A. 1618. sub Opitio fuisse exortam.*

§. VIII.

Existentiam hujus Silesiorum Præstantiæ nemo facile in dubium vocaverit: cum non constans tantum, etiam apud Exteros, Fama Silesios optimos Germanorum Poëtas clamitet; (k) sed & ipsa multorum Silesiorum Poëmata (quæ inter ex veterioribus, Opitii (l) Apellis de Leuenstern, Tscherningii, Coleri, Czepkonis; ex recentioribus, Mühlportii, Hofmannswaldavii, Lohensteinii, Abschatzii, utriusque Andr. & Christ. Gryphii (m) nominasse sufficiat) apertissimè id ipsum demonstrent, Conf. §. XI.

(x) *Addi possent Exterorum expressa Testimonia, nisi res ipsa loqueretur. Interim omnium instar sufficiet, quod celeberrimus quondam Polyhistor & Poëta haut vulgaris, Morhofius scribit l. c. P. 2. c. 9. p. 429. Er (Tscherning) quem in præcedd. laudaverat) hat viel andere seiner Landsleute (denn er war ein Schlesier) gehabt, die zur selben Zeit und nach ihm geschrieben: Wie denn Schlesien allemahl sehr fruchtbar von Poeten gewesen. In sequentibus recensionem Silesiorum Poëtarum Germ. persequitur atque inter alia de Andr. Gryphio & Lohensteinio scribit p. 430. Die haben die Trauer Spiele in Teutscher Sprache zur höchsten Vollkommenheit gebracht / daß wir den Außländern nichts darinn nachzugeben haben. Anderer Art Gedichte zu geschweigen / darinn sie gleichfalls sehr glücklich gewesen. De Hofmannswaldavio præter ea, quæ l. c. p. 431. scripserat, P. 3. c. 17. p. 768. ait, Ejus Epitaphia esse incomparabilia. Dissertationem de Poët. Germ. s. c. ubi Silesis passim hæc Præstantia tribuitur, vel ideò allegare possemus, quòd inter publicam ventilationem nemo eandem oppugnaverit, videsis in illâ p. 25. 28. 32. 87. 93. & c. (l) Quod Opitium spectat, Morhofius Flemmingium ipsi antepone non dubitat l. c. P. 2. c. 9. p. 426. atque inde, quòd Schottelius Flemmingio tantum boni lepidique Poëtæ Titulum, Hofmannswaldavio concinni saltem Sonnetti laudem tribuat, colligit, Judicia etiam celebrium Virorū sepe variare quàm maximè partiumq; esse studiosa. Sed, quod salvâ summi Polyhistoris laude dicere liceat, ipse*

potius hęc à partium studio non videtur plane alienus, ut ex seqq. ibi licet colligere. Opitius certè ingenio, doctrinâ & perspicuâ suavitate longè superat Flemmingium, quem, etsi non Holsatum, Holsatissimos tamen, & nescio quod duritię gen9, non minus atque ejus fortasse imitatore, Morhofium, fovere, facile deprehendet, qui utrumque legerit. Interim tamen ad stipulari nolumus Illius sui quidem nominis Viri, Augusti Buchneri Elogio Epist. P. I. num. 51. p. 119. non posse altius ascendere Musam patriam, & necesse esse, ut acquiescat eo fastigio, quo Opitius collocavit; quamvis cum eo Cl. Weisus in Cur. Ged. P. 2. c. 3. ferme consentiat. Recentiores enim Silesios altius ascendisse, scripta Ipsorum loquuntur. (m) de plurimis horum v. Morhof. l. c. P. 2. c. 9. p. 422--432. & alibi passim. De singulis autem & pluribus aliis Neumeist. Diss. de Poët. Germ. s. c. Multo verò plurimi sunt inter Silesios Poëta Germ. præstantissimi, quorum Poëmata junctim non prodeunt.

§. IX.

Sicut autem difficultate non caret, in quo Poëseos consistat Natura, accuratè decidere, teste vel ipso maximi nominis & Poëta Poëtarum Censore, Renato Rapino; (n) Ita Præstantiam in Poësi Germanicâ quoad singulas ejus partes ex Silesiorum Poëmatibus demonstrare, nec temporis, nec chartæ angustia permittit. Quinimo vel integra Scripta huc forent apponenda, cum tantum non ubique deprehendas inibi singularem Inventionum felicitatem, sententiosam maximè Deductionem, Expressionem numerosam, genuinam, grandiloquam & verè poëticam, denique superbissimo aurium judicio satisfacientem. Et quis negaverit, ad Silesiorum Poësin quadrare, quod de Poësi in genere laudatus Rapinus scribit; (o) dari adhuc in illâ, non aliter ac in reliquis Artibus, certas quasdam res ineffabiles, & quæ nequeant explicari, quæque mysteriorum instar sint; neque præcepta haberi ad monstrandum illas secretas illecebras sub sensum non cadentes, omnesque illas occultas Poëseos venustates, quæ intra cor penetrent.

(n) Au Tome second des Reflexions sur l' Eloquence, la Poëtique &c. à celles sur la Poëtique en general S. 7. p. 122. (o) l. c. S. 35. p. 152.

§. X.

Unde verò isthæc proveniat Præstantia, difficilioris longè videtur indaginis. Multa equidem, quæ Poëtas faciant, passim solent allegari: Vinum, Mulica, Locorum amœnitas, cupido Gloriae, alia. (p) Nec miramur amplius decantatum tantopere Enthufiasmum & Furorem poëticum, (q) quando ab ipsis Morbis & Delirio Vena quoque poëtica derivatur. (r) Enimvero pleraque hæc utut stimulum quandoque addere possint jam dum Poëtis, omnia tamen atque singula Poëtas ordinariè efficiunt nunquam; Silesios certè tales effecisse, nemo prudens sibi persuaserit. Neque plus tribuimus Situi Silesiæ Astrologico, quo Virginis & Mercurii signis subjicitur, (s) cùm fundamento admodum lubrico istud, quicquid est conjecturarum, nitatur.

(p) Vid. Giffens. Poët. maj. L. 2. c. 1. p. 144. Rabeneri Amœnit. Historico-Philol. num. 23. p. 180. sqq. Neumeist. Dissert. de Poët. Germ. p. 94. sq. & mox citand. Kortholti Dissert. de Enthufiasmo Poët. passim. (q) An per hunc aliud quid intelligendum sit, ac Instinctus quidam naturalis, aut animus nunc ac carmen serenior & intentior, judicent Doctiores. cf. Cl. Weisii Cur. Sed. P. 2. c. 1. §. 24. 25. 26. p. 21. 22. Celeberrimi Kortholti Filius, Sebastianus, A. 1696. sub Præsidio Dn. D. Mublii Disputationem habuit de Enthufiasmo poëtico, ubi hunc d. finit Mentis à natura aptata ad Poëticam, & à DEO, vel etiam demone afflata, incitationem ad faciendos versus. Ante illum Petrus Petitus, doctissimus Gallus, Disputationem de Furore Poëtico egerat, imò jam Plato in Jone suo, Dialogo, de eodem egerat; B. Morhofius autem quam promiserat de hoc Argumento Dissert. in seipsum Unterr. von der D. Sp. und P. P. 2. c. 2. p. 200. sq. morte preventus, ut alia plura, quæ meditatus est non perfecit. (r) v. Raben. l. c. de Abderitis & Maraco Syracusano ex Aristotele aliisque, & quem ibi indigitat B. Fellerum. Adde Kortb. Disp. modò cit. (s) v. Schickfus. L. 4. c. 1. p. 5. qui Silesios in de medium plerumque tenere inter temperamentum sanguineum & melancholicum dicit; sed ibid. c. 8. p. 47. ubi in specie Vratislaviæ illum situm ait adscribi, quem cum Parisiis, Pavia & Basilea habeat communem, illi convenire scribit incolarum ingenia, mediorum inter temperamentum sanguineum & cholericum.

Alii ergo hujus Præstantiæ monstrandi fontes. Et primum quidem Naturam & Ingenium Silesiorum sistimus, Pietatis in DEUM atque Modestiam Nostratum & ipsi memores, quibus neglectis alioquin doctissimos quosque in Diligentia potius, quam Ingenii laude sibi placuisse B. Thomasius observavit. (r) Ita scilicet Sua Dona dispensare consuevit Supremus rerum Arbiter, ut nec omnibus omnia, nec aliquibus nihil largiatur, mutui contemptus ansam præcens, amoris addens. Naturæ verò benignitatem sibi hujus Silesiorum Præstantiæ primas vindicare, vel inde licet arguere, quòd partim absque præviis Magistris, partim absque Otio aliàs requisito, (u) partim etiam Ætate vix dum pubere Poëtas se Germanicos excellentes Silesii præstiterint & adhuc præsent. Phœbeia Siren, Germani Princeps Carminis, (x) Opitius quales ipse componebat Versus Germanicos politiores, antea non viderat, multoque minùs qui componere doceret, Præceptorem. (y) Dn. ab Hofmannswaldau puer adhuc Libro poëtico de Maximiliano I. Imperatore sub Titulo Theurdancf conscripto, admodum delectatus, anno ætatis nono Syllabas quidem dinumerare didicit, (z) nullam verò ex Institutionibus poëticis evoluit (a) sui ipsius hinc optimus Magister. Idemque omninò est iudicium de Reliquis Silesiorum, Poëtarum Germanicorum nomine excellenter dignorum. In Silesiæ enim Scholis & Gymnasiis, hodie præfertim Vratislaviæ adhuc celeberrimis, Poësin Germanicam non præcepta de conficiendis Carminibus tradendo, sed loco Latinorum confecta tantùm corrigendo, doceri animadvertas. Quis verò non miretur, Viros tot tantisque negotiis, civilibus præsertim (b) involutos Poësin exercuisse adeo feliciter? Cæteros ut taceamus, Atlas ille Vratislaviæ, B. Hofmannswaldavius, quomodo medias inter administrandæ Reip. curas Germanorum simul Apollinem se præstare potuerit, nemo investi-

sti-

stigaverit, nisi qui ad Ingenium Viri respexerit prorsus incomparabile. Nec facilius foret dijudicatu, unde occupatissimus Vratislaviæ Papinianus, B. Lohensteinius, tempus ingenii fœtibus adeo multis, adeo nervosis edendis suffurari valuerit. Uterque certè, sicut & alii Civium, nec Horatii illud: (c) *Nonnumq; prematur in annum*, observare, nec Taubmanni de *Extemporaneâ Carminum temeritate Dissertationem* (d) extimescere consueverunt. Quin etiam fermè adhuc Pueri carmina scripsere adeo concinna, qualia alibi à Viris frustra expectares; quæ inter Lohensteinii, veluti alterius Plinii Junioris, (e) *Tragœdias, Agrippinam & Epicharin*, ineuntis Adolescentiæ primitias fuisse, (f) Ibrahimum Bassam verò decimo quinto ætatis anno ex divite Ejus Venâ profluxisse, (g) quis non profusam Naturæ benignitatem diceret?

(t) *Dissert. s. Program. num. 6. p. 54. ubi præsertim Ciceronis & Picæ Mirandulani meminit.* (u) v. *Giff. Poët. maj. L. 2. c. 2. p. 82. & 187. num. 12. cf. Weis. Cur. Ged. P. 2. c. 3. § 11. 12. 13. 14. qui ob denegatum Poëtis tempus putat Opitium manere insuperabilem.* (x) *Hoc Titulo eum dignatus est C. Barthius v. Königii Bibl. p. 589. 6.* (y) *Equidem Wenc. Scherffer in Præf. L. 6. Geist- und weltl. Gedichte Opitium in Lib. poëtico Ernesti Schwabens von der Heide/ A. 1616. edito, primam Poëseos suaviã invenisse conjectat; sed conjectat, & libellus iste est ignotus, cf. Neum. Diss. p. 76.* (z) *Teste Ipsomet in Præf. Carm. p. 23. ubi communera de illo Libro opinionem, quã ejus Autor ipse Maximilianus dicitur, simul rejicit, cf. Königii Biblioth. p. 522. sub Max. I. & p. 628. sub Pfinzing, & quos utrobique allegat Autores.* (a) *Eodem teste ibid. p. 2.* (b) *Cum alioquin non bene conveniant, nec in unâ sede morentur Jura Poësisq; v. Lohenst. præfat. Seiner Blumen. Unde multi studio Juris valedixerent, ut Poëtas liberiùs agerent, v. Morhof. Unt. P. 2. c. 2. p. 187. 201. 207. & c.* (c) *de Arte poëtica v. 388.* (d) *vid. Giff. Poët. maj. L. 2. c. 2. p. 184.* (e) *qui Lib. 7. Epist. 4. de se ipso scribit, decimo quarto ætatis anno se Tragœdiam composuisse.* (f) *v. Præfat. Editoris Lohensteinii, præfixam Ibr. Sultano & cit. Tragœdiis.* (g) *v. ejusd. præfat. illi scripto præfixam.*

Non tamen vulgari Proverbio, quo Poëtæ dicuntur nasci, ita assentimur, ut naturæ soli Silesiorum hanc Præstantiam referamus acceptam; verùm Imitationem etiam tam veterum quàm recentiorum Exterorum, imò Silesiorum ipsorummet in auxilium vocamus. Neque enim illa Nostrates incessit ambitio, ut cum Ægyptiis antiquis nullam Poësin præter suam approbent, omnem autem exoticam Polypi assimilent capiti: (b) Quin potius Poëtas Græcos Latinosque in Gymnasiis patriis fidelissimè sibi propinatos, ita in succum & sanguinem convertere siveverunt, ut nullus sit, qui non Latinum potissimùm Carmen (quæ Silesiorum antiqua gloria est (i)) pereleganter simul norit conscribere. Quare etiam B. Morhofium legimus (k) Felicitatem hanc Silesiorum à Græcorum Latinorumque Imitatione derivasse: contra verò fateri Nicolaum Antonium Hispanum, (l) & Renatum Rapinum, Gallum, (m) Conterraneos suos ob Veterum Neglectum Musarum Principatum ante alias Gentes non obtinuisse. De Recentiorum quoque Imitatione res manifesta est. Opitius non Belgarum saltem, (n) Heinsii & Doussæ, sed & è Gallis præsertim Ronsardi (o) Italarumque (p) vestigia scitissimè est persecutus. Neque diffitetur Dn. ab Hofmannswaldau (q) se post Latinos in Italarum, Gallorum, Belgarum Anglorumque incidisse Poëmata, indeque ad nitidiorem Poëseos suavitatem facientia haud pauca observasse. Quod de Reliquis etiam plurimis dicendum. Unde multa quoque Exoticorum Poëmata rhythmicis vernaculis susceperunt exprimenda, Guarini in primis illum Pastorem Fidum famigeratissimum laudatus sæpe, sed nunquam laudandus satis Hofmannswaldavius tantâ felicitate, ut nitidior ferme sub veste Germanicâ illis appareat, qui sub utraque intentiori oculo lustrarunt; (r) quamvis in eodem convertendo palmam Ipsi ambiguum reddidisse Abschätzius quibusdam putetur. (s) Ipsos verò Silesios Civibus hîc suis



suis fuisse & esse Exemplo, Opitium in primis, tanquam ciconias suum ducem sequi, probatione non indiget.

(b) *Ut ex Pierii Hieroglyph. referunt Giffenses Poët. maj. Lib. 1. c. 1. p. 2.* (i) *Vide Melanchthonis Judicium de Silesiis apud Schickfus. L. 4. c. 1. p. 5.* (k) *Im Unterr. P. 2. c. 9. p. 431. ubi de Silesiis ita: Es ist ihnen diese Poeterey so wohl ausge schlagen / weil sie die alten Griechen und Lateiner zum Zweck ihrer Nachahmung gehabt / ohn welchen nichts beständiges und vollkommenes ausgeführet werden kan. Dann wo keine gründliche Gelahrtheit bey einem Dichter ist / so wird nie was gutes und vollkommenes von seinen Händen kommen.* (l) *Ejus verba ex ipso in Bibliothecam suam Hispanicam Prefat. adducit Morhof. l. c. c. 3. p. 222. seq.* (m) *Aux Reflexions sur l'Eloquence, la Poëtique &c. à celles sur la Poëtique en general §. 26. p. 141. & §. 32. p. 149.* (n) *quos solos allegat Autor Diss. de P. G. sub Opit. p. 76.* (o) *v. Morh. l. c. c. 9. p. 424.* (p) *Weis. Cur. Ged. P. 2. c. 3. §. 1. p. 45.* (q) *Prefat. Carm. p. m. 3. 4.* (r) *Non dissentit ipse Morh. l. c. c. 2. p. 205.* (s) *Neum. Diss. de P. G. p. 4. 5.*

### §. XIII.

Multum denique ad hanc Præstantiam Silesiorum contribuere puriorem, quâ in scribendo potissimum utuntur, Dialectum autumamus. Certè vetus Latium Poëtarum examen felicissimis numeris ludentium tunc habuit, cum ad fastigium venustatis Latinus sermo evehctus est. (t) Et, quæ nunc Italica lingua dicitur, statim ac emergere cœpit nitidior, Poësis quoq; indigena svaviori subinde habitu incessit. (u) Quin etiam Gallis, aliisque Gentibus coæva plerumque Lingvæ elegantia Poëseos felicitas extitit. Quare nec alia Poësin Germanicam facta manserunt, ejusque apud Silesios Præstantia non prius se, quàm ipsorum Dialectus politior exeruit. Indequè præsertim Austriacos, Bavaros & Tyrolenses B. Morhofius in infi-

C

mo

mo Poëtarum Germ. subsellio hæere dicit, quòd sermo ipso-  
rum durior sit minusque svavis; (x) Silesiis verò delicatum  
aurium iudicium præ aliis tribuit, (y) ipse licet patriæ dialecti  
aliàs amantior. (z) Consultò verò diximus: *quâ in scriben-  
do potissimum utuntur.* Ex loquelâ enim si dijudicare malle  
Linguae Germanicæ Puritatem, frustra, etiam in Misniâ, (a)  
ubi tamen, præsertim Lipsiæ, plerique omnes nitidissimam  
fatentur, dialectum omni labe immunem quæsiyeris. Jam ve-  
rò scribendi genus adeò germanum, svave, atque concinnum,  
quale Opitius in sermone quoque libero adhibuit, (b) ipsius  
tempore, imò, nisi B. Lutherum excipere velis, etiam ante  
ipsum, vix quisquam adhibuerit alius. Qui autem eum secu-  
ti sunt Conterranei Poëtæ excellentiores, omnes quoque Pro-  
fâ vernaculâ excelluerunt: quos inter præ aliis uterque Gry-  
phius, & Lohensteinius Arminio suo, exactissimo Eloquentiæ  
Germanicæ Monumento, (c) inclaruerunt; neque Dn. Casp.  
Neumanni, Vratislaviensium revera Chrysofomi, stylo, quo  
seu scribens seu loquens utitur Vir undique celeberrimus,  
quicquam aut acutius, aut elegantius aures etiam delicatif-  
simæ desideraverint. (d)

(1) v. Barclaj. Euphorm. P. 4. seu Icon Anim. c. 2. p. m. 411.  
sq. (u) de hoc & seqq. v. Hofmannsw. Præf. Poëm. p. m. 8. seqq.  
cf. de Italis Morhof. l. c. P. 2. c. 2. p. 192. sqq. (x) l. c. c. 9. p. 434. (y)  
ibid. p. 433. sq. ubi de Harsdörfferi aliorumque Poësi iudicans post  
debitas laudes addit: Aber es ist doch etwas Frembdes dabey /  
das in den Ohren der Schlesier und Meißner nicht wohl klingen-  
get. (y) l. c. P. 3. c. 2. p. 481. sq. (a) Scioppius in Consultationibus  
p. 28. ita scribit: Misnenses optimis ac probatissimis vocabulis ac  
phrasibus utuntur: quamvis in pronuntiandis diphthongis ac con-  
sonantibus nonnullis risum ceteris Germanis meritò debeant, verbi  
gratiâ cum dicunt: Heebt pro Haupt / Zeeberer pro Zauberer /  
Jod pro Gott / Jar pro Jahr. Gott jeb euch een jutes naues  
Jar / pro Gott geb euch ein gutes neues Jahr / uti verba adducit

Mor-

*Morbof. l. c. P. 3. c. 2. p. 480. qui præmittit hæc: Der Weißner Ausrede ist die zierlichste / aber sie haben auch einige Sonderlichkeiten / die nicht nachzuahmen seyn. Imò B. Rappoltus in Logicâ Gellianâ cap. 5. scribit: Valdè vereor, ne non parum à pristino nitore linguæ, quem Scaliger illi in Epigrammate tribuit, nostra quoque Lipsia desciverit. (b) vid. Schottelium von der Deutschen Haupt-Sprache Lib. 5. Tract. 4. p. 1174. & Tr. 5. p. 1222. sqq. (c) Dn. à Ziegler in præfat. Seiner Asiatischen Banise circa fin. de hoc scripto dicit, daß dem/so die Vollkommenheit der deutschen Sprache zu sehen beliebt/ der unvergleichliche Arminius des weitberühmten und vortrefflichen Herrns von Hohenstein / sein Verlangen sattfam stillen werde. (d) Non iniquè feret Vir summe Venerabilis, Ipsius hæc injici mentionem. Poëtam, si vellet, ingeniosissimum vel Hymni Ejus sacri, qui in ore & corde Civibus quotidie versantur, innuunt.*

#### §. XIV.

Silesiasmi sic dicti, quos quidam Nostratibus obijciunt, Præstantiæ huic videri possent adversari. Verùm plerique illorum rectius fortasse Germanismis falsò suspectis, judice Cl. Weisio (e) non minùs, ac Latinitatem falsò suspectam curatè inquirendis, accenserentur. Cùmque magni Poëtæ studiosius plerumque Res, quàm Verba attendere soleant, imò hæc, ne affectata videatur Elegancia, quandoque de industriâ quasi negligant; (f) Reliqua, quæ tanquam minùs compta culpæ dantur, Præstantiam isthanc non magis dehonestabunt, quàm vel Umbra ingeniosè expressam Imaginem, vel speciosam floridæ Virginis Faciem genitivæ maculæ punctulum: (g) Certè Horatii Judicium admittent:

Sunt Delicta tamen, quibus ignovisse veli-  
mus. (b)

Et mox: (i)

Verum ubi plura nitent in carmine, non ego  
paucis

Offendor maculis, quas aut Incuria fudit,  
Aut humana parum cavit Natura.

Namque:

Quandoque bonus dormitat Homerus. (k)

(e) In *Curios. Ged. von deutsch. Vers. P. I. c. 3. §. 29. p. 175. n. 4.* (f) *Vid. in hanc rem acutissimum Censorem, Rapinum aux Reflex. sur l' Eloquence, la Poétique &c. à celles sur la Poët. en general §. 40. p. 157. sq.* (g) *Merentur Morbosii verba apponi ex L. saepe cit. P. 3. c. 3. p. 546.* Es werden in allen Sprachen einige Freyheiten von den vornehmsten Poeten gebraucht / die man nicht eben nach der Grammatiscen Richtschnur abmessen muß. Denn es erfordert bisweilen der *Numerus*, die Nothwendigkeit und der Wohlklang etwas / das man sonst nicht billigen würde. Wie wir denn aus diesen Ursachen bey *Homero* und *Virgilio* grosse Freyheiten sehen: Worinn ein gemeiner Verstand / der über die *Grammatic* und die *Profodia* nicht schreiet / sich nicht zu finden weiß. Und ist über dem zu betrachten / was der Herr *Menage* urtheilet / daß man kleine Fehler von grossen Poeten übersehen muß. (b) *de Arte poët. v. 347.* (i) *v. 351. 352. 353.* (k) *ibid. v. 359.*

§. XV.

Quamvis autem hujus Præstantiæ ipsimet Silesii quandoque mentionem injiciant, (l) nemo tamen propterea arrogantia dicam illis justè impegerit. Sic enim Interprete *Abschatzio* (m) semetipsos declarant:

Die

Die Stücke sind zwar schlecht / die auf uns kom-  
 men seyn /  
 Und kan man wenig Licht in solchem Schatten fin-  
 den /  
 Die Funcken geben bloß aus bleichen Kohlen  
 Schein /  
 Doch sind sie unsern Geist noch fähig zu entzün-  
 den.

Nec est, ut de Præstantiæ hujus Fructibus, ex Poësi in ge-  
 nere facile colligendis, verba denique multa faciamus.  
 Sufficit Silesiis, quòd infinitas DEI Ter Optimi Terque  
 Maximi Laudes, Ejusdemque in Terris Locumtenentium  
 Primariorum, LEOPOLDI Pii, Magnanimi, Felicis, at-  
 que JOSEPHI, Austriacæ, quanta quanta est, Præstan-  
 tiæ ex asse Hæredis, sub quorum Umbra floret florebit-  
 que DEO annuente Silesia, Virtutem, Triumphos & Cle-  
 mentiam gaudeant canere svaviùs.

(l) v. Præfat. Poëm. Mühlportii, & ipsum Mühlport. p. 175.  
 Lobenstein. in præf. Seiner Blumen / & in Hyacinthen p. 27.  
 79. Abschatz. in Carmine Lobensteinii Arminio præfix. &c.  
 (m) *ibid.*



## ADDITAMENTA.

1. Prophetarum filios Poëtarum etiam profanorum tractationem non dedecere ex Act. 17, 28. 1. Cor. 15, 33. Tit. 1, 12. probari potest.

2. Insignem seculorum barbariem arguit, quando Ottonis M. (teste Harsdörffero im IV. Th. der Bespräch- & Spiele im 151. Sp. §. 8.) & obscurorum Virorum (referente Squarciarico in Vitâ Petrarchæ) temporibus, Poëtæ Sortilegi & Hæretici dicebantur: Neque Ignorantiæ culpâ veteres Canonistæ liberandi, qui (ut notat Phil. Caroli Orat. de Crit. p. 18.) ex falsâ in Canonibus Gratiani distinct. 15. pro heroicis, hæreticis, lectione suspicati sunt Poëmata omnia esse hæretica, Poëtâsque, quamvis sacra tractantes, piis ne utiquam annumerandos.

3. Li-

3. Libri V. T. ~~FRANC~~ propriè non sunt metrici; nec iniquè planè *Franc. Gomarus in Lyrâ suâ Davidicâ* multipliciter delirasse dicitur *Lud. Capello.*

4. Versûs metrici in Græco N. T. textu reperiendi (v. Giffens. Poët. maj. L.2. c.1. p.146. sq) respectu Spiritûs S. non possunt dici ex improvîso scripti.

5. Jocus liberalior fuit, cum nonnemo Silesios *Elysios* vocatos dixit, quasi *extra læsionem positos*; minùs verò benignè aut piè alius tradidit, se contra Silesios orare *Petitio- ne septimâ: Erlöse uns von den Quaden.*

6. Rectè Lansius Orat. contra Germ. p. 904. parùm abesse scribit, quin Laurus, olim insigne & nota bonorum Poëtarum hodie degeneret in signum malorum Poëtarum, &

2118 1400  
& non - Laureatus Poëta habeatur  
melior Laureato.

7. Superstitiosum an crudele  
magis est de Poëtriis Poëtæ Arabici  
apud Pocockium in Præfat. Annot.  
in Carmen Arabicum *Tograi*, Judi-  
cium: Gallicantum cum Gallina imi-  
tatur, juguletur?

8. Non malè heïc loci Quidam  
magnæ Doctrinæ Vir ex adversarii  
stylo minùs bene Germanico colli-  
gebat, scriptorem non esse Silesium.

9. Silesiæ Regno Bohemiæ  
unitæ Aquilam, antea candidam, ex  
odio in Polonos suborto in nigram  
abiisse, probari non potest.

S. D. G.

*Non gravetur L. B. legere §. I. lin. 11. nascentes pro latentes;  
§. II. (p) pro (q) Et ibid. in Not. lit. (o) L. 4. pro L. 1. §. IV. in  
Not. lit. (y) Exc. Kirchn. pro B. §. VI. lin. penult. Germanica pro  
Germanicâ. §. VII. in Not. lit. (i) Goldastum pro Soldastum.  
Reliqua erunt leviora,*

1017



August  
P R  
PATRI  
GENERO  
STRENU  
TISS  
PR  
*Dominis*  
Venerati  
Haf  
Ipforu  
Quinimo St  
cum o  
MAGNO

olicae  
D I,  
RIPTIS,  
MAXIME  
CONSUL-  
IMIS,  
VE,  
*etis suis*  
ficiendis,  
m,  
um,  
m sacratum,  
mente  
MINUM

